

CONRADVS DINNERVS POETA.



Conradus honesto loco apud Germanos natus, atq; optimè educatus est. Is cum preclaro ingenio uteret, à pueris statim literis incubuit, atq; artium & linguarum fundamenta feliciter iecit. Postea ad celebres Germanie academias peruenit, atque Philosophiae, in primis autem in Friburgensi Gymnasio Poëticæ singulari industria operam dedit, atq; plurimum profecit. hanc eius eruditionem cum proceres cognouissent, ipsum inter professores receperunt, atq; optimos quosq; Poëtas in sua schola explicare iuillerūt. Id quod ipse singulari per spicuitate perfecit, atque auditoribus gratissimus fuit. Collegit is quoq; ex omnibus Græcis atq; Latinis Poëtis Epithetoru doctissima commentaria, quæ Rauish utile opus plurimum superant, & breui in lucem edentur. Cum hoc modo Conradus innotesceret, atq; etiam altiora studia respiceret, anno 1565 in Italiam sese contulit, & suum ingenium apud uiros doctissimos ulterius excolere instituit. Quod si etiam hic studia sua continuauerit, procul dubio uiris doctissimis adnumerabitur, atq; suis lucubrationibus posteritatí plurimum proderit, id quod uiri prudentes & erudití passim de Conradi ingenio prædicant. Io. Op.